



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXVIII. Proprium esse hominis, qui perfectè Deum amat, ut à nemine amari, & in pretio haberi, sed omnibus potiùs contemptui, & fastidio esse velit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

reverentiæ signa exhibere, quæ ratio, & communis vitæ usus exigit, ut superioribus inferiores exhibeant: neque id vulgaris officii gratiâ, sed ex naturali connexionem inter externum, atque interiorem hominis habitum, qua fit, ut elatus apparere in aliorum oculis nequeat, qui est verè humilis, & abjectus in propriis.

## CAPUT XXVIII.

Proprium esse hominis, qui perfectè DEUM amat, ut à nemine amari, & in pretio haberi, sed omnibus potiùs contemptui, & fastidio esse velit.

**A**ctenus ità de humilitate egimus, ac si juxta sensum communem existimarem, intrinsecùs ad eam pertinere, non solum ut homo se ipsum despiciat, sed ut ab aliis itè despici velit. Tempus jam est, id ad legitimum examen vocandi. Neque enim desunt rationes, quæ evincere videantur contrarium, nempe humilitatem in eo totam consistere, ut quis pro vili se habeat, secundum pervul-

Z z

ga-

gatam D. Bernandi definitionem: (Tr. de Grad. Hum.) *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit; quòd verò ab aliis itèm vili in pretio haberi velit, pertinere ad aliam quampiam virtutem, humilitati quidem cognatam, sed ab ea tamen distinctam. Primò, quia nulla extat definitio, utrumque prædictorum actuum unica communi ratione intrà se amplectens. Præterea, quia ubi duo actus propriam, & peculiarem singuli pervincendam habent difficultatem, produunt se ad diversas pertinere virtutes. Et tales videntur esse actus, contemnendi se ipsum, & volendi ab aliis contemni: quorum posterior difficillimus sæpe homini accidit, qui facillimè exercet priorem. Prout videre est in iis, qui præ verecundia grave aliquod scelus in Pœnitentiæ Sacramento reticent. Hi enim, quamvis nullam experiantur difficultatem, in habendo se ipsos pro sceleratis, & improbis, gravissimam tamen sentiunt in sua illa improbitate alterius notitiæ exponenda. Postremò, quia humilitas est contraria superbiz. Ac proinde, quemadmodum hæc in vana sui æstimatione se continet, neque ad eandem æstimationem ab aliis quærendam progreditur, faciendum id relinquens cenodoxia, seu*

inani gloriæ, quæ authore D. Thoma (2. 2. qu. 162. a. 8. ad 2.) vitium est à superbia distinctum; sic videtur debere etiam humilitas in solo sui apud se contemptu subsistere, neque extendi ad eundem apud alios quærendum, sed relinquere, ut altera quæpiam virtus id agat, cuius proprium fit cenodoxiæ opponi. Alioquin unica, eademque virtus directa, & formali oppositione duobus vitiis adversaretur: quod non accidit, nisi quantum ad vitia, quæ in illius exuperatione, & defectu consistunt, qualia manifestum est, cenodoxiam, & superbiam respectu humilitatis non esse.

2. Quamvis porrò prædictæ rationes sat probent, sui apud alios contemptus studium posse aliquando, ut inferiùs videbimus, ad virtutem ab humilitate diversam spectare, non ideo etiam evincunt, tam necessariò id contingere, ut nequeat illud idem studium ex humilitatis quoque instinctu concipi, interque proprios illius actus censerì, quemadmodum facillè ex responsis ad easdem rationes patebit. Etenim ad primam quod pertinet, superior nostra humilitatis definitio, dum eam esse affirmat, odium propriæ æstimationis, & amorem proprii contemptus; univer-

fali illo pronomine sui æstimationem, & contemptum tam apud se, quàm apud alios sat videtur complecti. Imò, etiamsi cum S. Bernardo definiremus, humilitatem esse virtutem, per quam homo vult, & quærit vilis sibi ipsi apparere; dicendum tamen esset, hoc ipso impelli ab ea hominem, ut velit, & quærat aliis quoque vilis videri: cum posterior hæc voluntas ex priorè illa necessariò sequatur: ac proinde per illam ipsa quoque, tanquam naturalis ejus proprietas, si non expressè, at implicitè, æquivalenterque significetur. Cujus rei testes habeo primaria illa duo scholarum oracula, Aristotelem, & D. Thomam, planissimè utrumque affirmantè, honorificam aliorum de se existimationem ideo ab hominibus tam impensè appeti, quia valet ad excitandam, & confirmandam in ipsis, quæ naturaliter sapidissima cuique est, propriæ dignitatis existimationem. Audiatur prior: (L. I. Rhetor. c. II.) Honor, & gloria, inquit, *jucundissimorum est. Fit enim imaginatio, talem se esse: præsertim cum ii asserant, qui non putantur mentiri. Amari etiam jucundum. Fit enim hic quoque imaginatio, bonum inesse. Et alibi adhuc disertius: (L. 8. Ethic. c. 8.) Qui à probis viris, & scientibus honorem affectant, pro-*

priam opinionem de se ipsis confirmare cupiunt: gaudētque, quod boni sint, laudantium iudicio credentes. Cui subscribit Doctor Angelicus, in eandem ipse quoque sententiam pronuntians: (1. 2. qu. 32. a. 5.) Propter hoc homines delectantur in hoc, quod laudantur, vel honorantur ab aliis, quia per hoc accipiunt æstimationem, in se ipsis aliquod bonum esse. Et quia ista æstimatio fortius generatur ex testimonio bonorum, vel sapientum; ideo in horum laudibus, & honoribus homines magis delectantur. Et quia amor est alicujus boni, & admiratio est alicujus magni; ideo amari, & in admiratione haberi est delectabile: in quantum per hoc fit homini æstimatio propriae bonitatis, vel magnitudinis, in quibus aliquis delectatur. Quapropter, si secundum hosce tam eximios Doctores, ideo gloriosi esse in aliorum æstimatione homines cupiunt, quia indè gloriosi quoque in sua fiunt; necesse profectò est, ut, qui hanc odit domesticam gloriam, externam quoque illam pari odio aversetur: ac proinde, dum humilitas dicitur nos impellere, ut studeamus viles, contemptique nobis videri; per hoc satis innuitur, eandem nos impellere, ut ab aliis itèmtales existimari velimus.

3. Neque objicias, delectari sæpe homines laudibus, quanquam evidenter falsis, quæque nullam meliorem de se ipsis opinionem excitare in eorum mentibus possunt: ut exempli gratiâ nonnullos hypocritas, sceleratissimos cæteroqui homines, sed impostoris, & præstigiis eximie sanctitatis laudem vulgo assecutos. Qui, licet indignitatis suæ optimè conscii, de illa tamen externa sui æstimatione, merè propter ipsam, & insitam ipsi dulcedinem gaudent. Respondetur siquidem, illam populi famam, quamvis nequeat efficere, ut prædicti homines sibi persuadeant, meliores se esse; efficere tamen, ut aversa subinde à flagitiis suis mente, splendidis imaginationibus ludificent se ipsos, & veluti in somnio fieri solet, appareant sibi, non quales revera in se sunt, sed sub alia venerabili, & magnifica specie, quales nimirum esse aliis per errorem videntur: ex qua identidem obvia suæ dignitatis repræsentatione, cum non parùm delectationis, quamvis nullo eam certo judicio approbantes percipiunt, inde fieri, ut hujus effectûs gratiâ, externam illam gloriam quarant, amentque. Responderi etiam potest; uti amor erga aliquem efficit, ut illius quoque imagines amentur, &

quando ille abest, quoddam veluti illius supplementum, quærantur; sic homines supra dictos intueri honorifica aliorum de ipsis iudicia, tanquam ficta quædam simulacra illius veri iudicii, quod de propria excellentia vellent intrâ se habere: & ab hujus amore incitantur, ut illa ament; & quoniam hoc frui nequeunt, illa saltèm ejus locò requirant. Ex innata igitur cuilibet cupiditate propriæ de se ipso æstimationis, tanquam ex propria, & naturali causa oritur ejusdem apud alios æstimationis cupiditas, seu quia præclarum de se aliorum iudicium, nisi evidenter falsum sit, similis de se ipso iudicii in mente excitandi, confirmandique vim habet; sive quia, si propter manifestam suam falsitatem efficere id nequeat, imaginarium est saltèm, neque parùm vel sic delectabile, domestici iudicii illius supplementum: certum proinde remanet, quod suprâ affirmavi, si ad humilitatem spectet propriam sui æstimationem odisse, non posse ad eandem non alienæ itèm de se æstimationis odium spectare.

4. Quin imò soluta etiam hinc remanet, quæ secundo loco allata in contrarium est, ratio; cùm ex hæctenus disputatis appareat, eandem difficultatem utrique actui vincendam



esse, sive qui apud se, sive qui apud alios in præclara æstimatione esse odit: nullique, qui satis animo comparatus sit, ad priorem promptè exercendum, difficilem esse alterius exercitationem posse. Quòd si aliqui arcanorum sibi scelerum conscii, facillimum experiuntur, improbos juxta illa se agnoscere, utque tales despiciere, qui tamen summa vi, extremoque conatu indigerent, ad eandem suæ improbitatis notitiam, & despicientiam illorum publicatione apud alios quærendam exemplum nullo modo ad rem facit: aliud quippe est abjectam de se opinionem in animo habere, quod, ut supra ostendi, ad virtutem humilitatis non sufficit, neque ideo facilitatem confert volendi, ut cæteri quoque similem de se opinionem habeant: & aliud, abjectam suæ mentis de se ipso opinionem studiosè aucupari, quod veræ humilitatis est proprium, quòdque quisquis facile sibi reddiderit, facile itèr experietur, velle, & curare, ut cæteri quique hominum suam vilitatem agnoscant, inque eodem, quo ipse, contemptu se habeant.

5. Quantum verò ad postremam rationem, nego ex natura vitiorum esse, ut eorum quodlibet certam quampiam, & peculiarem

ārem habeat sibi uni contrariam virtutem ;  
unde nequeat humilitas tam superbix , quā  
cenodoxix , vel inani gloriæ adversari. Quō-  
que confidentiūs id negem , animos mihi D.  
Thomas facit , expresse , disertēque opposi-  
tum docens , dum scripsit : *Dicendum , quod u-  
ni virtuti multa vitia opponuntur , secundum di-  
versos ejus actus. ( 2. 2. qu. 29. a. 4. ad 5. )*

6. Nihilominus , admissa distinctione in-  
ter cenodoxiam , & superbiam , fatendum ne-  
cessariō est , honorificam de nobis aliorum  
æstimationem , licet vim habeat efficiendi , ut  
nos itidem honorificè sentiamus de nobis ,  
effectūsque hujus causā expeti ab hominibus  
soleat ; posse tamen vel seorsim ab hujusmo-  
di effectu amari , & placere , aliqua alia de  
causa , nimirum propter delectationem , quam  
vel merè secundum se ipsam considerata a-  
nimo parit. Neccsariō , inquam , fatendum  
id est : nam alioquin peculiaris quilibet ho-  
norificæ apud alios æstimationis appetitus ,  
quemadmodum nihil aliud , nisi honorificam  
hominis de se ipso æstimationem spectaret ,  
sic non nisi hujus amor , & appetitus , hoc est  
meræ , & formalis superbix actus foret ; cūm-  
que nunquam illa appeteretur , nisi per actus  
ad superbiam spectantes ; nullum existeret  
L z 5 di-

distinctum ab hac vitium, cuius proprium est, fer, seu proprium cenodoxiæ est, præclaram de se hominum æstimationem appetere. Admissio autem, quòd nostra huiusmodi apud alios æstimatio vel per se ipsam, & seorsum à vi, alteram similem in mente excitandi, placere, & appeti possit; necessariò hinc conficitur, posse quoque eandem odio haberi, per se ipsam, & sinè ullo respectu alterius similis, quam in mente excitare consuevit. Uterem totam breviter definiam, exterior nostra apud homines gloria amari, odiòque haberi potest, seu ratione interioris gloriæ, quæ indè nobis apud nos provenit; seu iucunditatis respectu, quam vel sola, & seorsum ab effectu illo affert. Prima de causa eam amare non cenodoxiæ, sed superbiæ, odisse autem solius humilitatis est actus. At, si secunda ametur, vel odio habeatur de causa; nullus ibi est superbiæ, nullus humilitati locus; sed illius amor cenodoxiæ uni convenit; odium verò ad virtutem pertinet, cenodoxiæ speciatim oppositam, & sinè certo adhuc nomine, in genere mortificationis interioris comprehensam.

7. Atque hæc dicta sint episodii, non necessarij potius, quàm otiosi, & inutilis loci.

ut germana humilitatis notio extra ambages, quibus passim involvitur, quoad ejus fieri poterat, perspicua, & distincta appareret. Cæterum, utcunque se res habeat, & quo tandem nomine, humilitatisne, an mortificationis, an alterius cujuscumque virtutis insigniri debeat nostræ apud homines existimationis, gloriæque odium, pro minimo habent, ac sua nil referre arbitrantur, qui solum illius praxim requirunt; quæ qualis esse, & quibus de causis suscipi debeat, tractare ego jam pergam: humanæ gloriæ odio humanæ item benevolentiam odium comprehendens, ratione naturalis nexûs, quo ambæ inter se colligantur. Cum, juxta paulò antè citatam Aristotelis, & D. Thomæ doctrinam, vel unica, vel princeps causa delectationis, quam ex aliorum erga nos amore percipimus, sit, quia inde apparet, eximii aliquid eos in nobis agnoscere, cujus gratiam in pretio nos habent, & suam dignos benevolentiam arbitrantur.

8. Quantum ergo ad exercitationis hujus causas, cum in præsentis opere propositum mihi sit, non aliunde ad quidvis volendum, agendumque illas sumere, quam ex DEO, nempe ex studio usquequaque ei placendi, & quam perfectissimè eum amandi; nulla re alia

lia opus habeo, nisi ut demonstrem, quantum ejusmodi studio humanæ æstimationis, gloriæque amor repugnet; si enim id confiterit, cuilibet animæ, quæ perfectè amare DEUM cupit, validissimi instar stimuli erit, ad suam omnino inter homines & fugiendam gloriam, & contemptum quærendum. Neque ardua demonstratu res est; sive enim hominum æstimatio, & benevolentia appetitur, ex instinctu proprio superbiæ, quatenus scilicet præclaram in nobis nostri æstimationem producit, nemo non videt, hunc illius appetitum tam DEO injuriosum, perfectoque ejus amori repugnantem esse, quàm ipsam superbia, hoc est nostræ apud nos æstimationis amor sit: vel enim affectatur per cenodoxiam, ratione nimirum voluptatis, quam sine ullo etiam suo effectu afferre per se ipsam consuevit, & facilè apparet, quantum hujusmodi ejus studium divinæ charitati advertetur: tum quia vehementi suæ dulcedinis sensu totam penè animam occupat, non sine proinde, ut DEUM unum quærat, DEO uni vacet, DEO uno fruatur: tum quia velle respectu sui ipsius honorari, & amari perinde est, juxta Guigonis Carthusiani sententiam: (c. 8.) ac ex adverso DEI aram sibi ponere.

nerere, rivalem ipsius fieri, & furto sacrilego hominum mentes, voluntatésque surripere illi velle: volendo, ut ab illius contemplatione, admiratione, & amore ad se potius contemplandum, admirandum, & amandum vertantur: tum demum, quia neminem fugit, quot divini famulatús obstacula, imò quot, quámque abnormes DEI offensæ ex inordinato hoc affectu orientur. Cùm nulum ferè occurrat tam extremi sceleris genus, ad quod plurimi ab honoris, gloriæque cupiditate, vel infamiæ, ac dedecoris metu non quotidie impellantur. *Diligunt enim* (ut in suo Evangelio scribit D. Joannes) *gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.* (c. 12.) Satisque esto, execratissimum omnium, quæ unquam post homines natos perpetrata sunt, facinus mortem nempe ipsimet vitæ authori, & DEI Filio illatam hinc ortum duxisse. Cùm neque pharisæi aliunde moti sint ad eam nefaria conspiratione urgendam, quàm retinendæ dignitatis curâ, & quòd diutiùs ferre hypocrisis suæ objurgatorem non possent; neque præses Romanus aliam habuerit decernendæ illius causam, nisi quòd Judæis satisfacere, & haberi amicus Cæsaris vellet. Quare D. Paulus inter studia hominibus gratifican-

can-

candi, & DEO serviendi, naturale diffidium agnoscit, scribens de se Galatis: (c. i.) *An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et Christus Dominus humanæ appetentiam gloriæ, non charitatis modò, sed ipsius etiam divinæ fidei impedimentum vocavit, dicens Judæis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, que à solo DEO est, non queritis?* (Joa. c. 5.)

9. En igitur causas, unde, qui perfectè amare DEUM cupit, incitari consuevit, ut omnem sui apud homines & gloriam refugi- at, & despicientiam perquirat, Ille fixum penitùs, & deliberatum apud se habet, nullum in re DEO displicere, imò, quod ei maxime gratum sit, ubique sectari, neque ullum in suo animo affectum ferre, qui ab ipso non proficiscatur, & ad ipsum non tendat. Iam verò palàm perspicit, humanæ laudis, gratiæque appetitum non modò ex DEI amore non proficisci, sed illi etiam valde adversari, tum quatenus omnes penè curas, cogitationes, affectùsque animæ sibi usurpat; tum quatenus quos occupaverit, præ nimia hominum reverentia abstinere à multis operibus cogit, quæ DEO grata admodum forent, imò etiam la-

pe eisdem vehementissimè impellit ad ea efficienda, quæ severè à DEO interdiciuntur, & patrari sinè gravi offensa illius nequeunt: colligens indè, si ei locum in suo animo dederit, non modò se inhabilem fore, ad DEUM toto pectore amandum, sed ingens quoque aditurum discrimen, nè vel ab ipsa illius amicitia excidat, illorúmque in sortem, ac numerum veniat, de quibus canit Regius Propheta: (Ps. 52.) *Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos.* Quapropter, cum talem esse illum videat, gravissimum illius odium, & horrorem animo concipit, quæque maxima potest cum efficacitate decernit, nullas artes omittere, quæ affectûs tam perniciosi à se penitùs excludendi vim habeant. Et quoniam nulla inter omnes ipsi occurrit ad prædictum finem validior, quàm si juxta universalem nostram regulam ratione illi prorsus contraria operetur, fugiendo nimirum, quidquid ille appetit, & quidquid fugit quærendo; hac omnino, & quàm exactissimè uti apud se statuit. Denique animadvertens, nihil ab eo aliud quibuscunque suis studiis, & conatibus quærit, nisi illustrem apud omnes famam, dignitatem, admirationem, plau-



plausum, observantiam, favorem, gratiam, nihilque è contrario aliud fugitari, & caveri, nisi nominis obscuritatem, abjectionem, infamiam, contemptum, probra, irrisiones, fastidia; aggreditur opposita prorsus ratione omnem apud homines notitiam, celebritatem, honorem, commendationem, & naturalem benevolentiam, quantum potest vitare: nulli parcens industria, quæ conferre ad hunc finem suum valeat, nihilque ægrius ferens, quàm si interdum eo fraudari contingat. Cui tam enixo fugiendæ humanæ ælimationis studio par accedit cura, ut omnes, quoad citra eorum noxam fas est, se minimi pendant, contemptim habeant, averfentur, objurgent: neque alia utrumque de causa, nisi ut omnem ab animo humanæ benevolentia, gloriæque amorem exterminet: unde mox illius retinaculis, & impedimentis sublatis divino sese amori liberiùs impendat, quem sibi tanquam unicum suæ totius vitæ, omniumque affectuum, & studiorum finem proposuit.

